

nem & Spiritum Christi nos purgat, & retrahit à peccatis virtute mortis & resurrectionis eius. Denique absurda & blasphema est interpretatio ex loco adducto de Jeroboamo, propter cuius peccata Deus dicitur tradidisse Israël, quia ipse peccauerat, & Israël peccare fecerat: quæ additio phrasin, propter

A peccata, de expiatione aut satisfactione intelligi, vel ad Christi mortem accommodari nullo modo patitur: Alioqui dicendum erit hæretico, Christum esse traditum propter peccata nostra, quia non solum nos peccauerimus, sed & ipsum peccare fecerimus, quod sanè falsum erit atque blasphemum.



## CAPITIS QVINTI AD ROMANOS.

### Argumentum, partitio, analysis.

Caput quintum est expositio precedentis gnoma, de Christo tradito propter peccata nostra, suscitato propter iustificationem nostram, & quod hæc fides imputetur nobis ad iustitiam: Hanc, inquam, sententiam Apostolus illustrat enumeratione effectuum, docens, ex morte & resurrectione Domini nostri Iesu Christi præter iustificationem fidei etiam manere alios salutes effectus, pacem, ἀναστροφήν, spem, patientiam, constantiam, in ærumnis, denique solidam consolationem in vita & in morte. Deinde utranque (iustificationem & consolationem) aduersus rationis & carnis argutias confirmat argumentis à causis & à comparatis: ubi insignem primi & secundi Adami collationem instituens, illum peccati & mortis, hunc iustitiæ & salutis authorem esse demonstrat: In fine occupationem de usu legis addit. Partes capituli constituo tres.

**P**RIMA PARS est exegetica beneficiorum, quæ habemus per Dominum nostrum Iesum Christum, h. e. ex morte & resurrectione eius, à vers. 1. ad 5. Caput beneficiorum est iustificatio, ex qua fluunt bona, ad solidam consolationem in lucta necessaria tum interna pax cum Deo: ἀναστροφή gratiæ, & spes gloriæ futura, v. 1. & 2. tum externa: fortitudo Christiana in ærumnis, patientia, experientia, spes, constantia ver. 3. 4. 5.

**A**LTERA PARS est apodictica utriusque, h. e. tum justificationis fidei per mortem & resurrectionem Christi: tum consolationis illius viæ inde in nos manantis à vers. 5. usq. ad vers. 29. Utranque enim confirmat. 1. Coniunctim ex sensu interno fauoris Dei erga nos, & testimonio Spiritus sancti v. 5. 2. Diuisim: Justificationem quidem ex causis impulsivis mortis Christi: primum proximam, quæ fuit peccatorum non suorum, sed nostrorum expiatio: ver. 6. 7. De inde remotam seu primam, quæ fuit immanitas  
charitas